3

COPIA EPISTOLÆ

MISSÆ GANDAVO

ANTVERPIAM

25. SEPTEMBRIS 1679.

Ad Ampliſſimum ac Reverendiſſimum Prælatum, Studiorum Obſervantiſſimum, & Antiquitatis Defenſorem Acerrimum.

BIBLIOTECA NAZIONALE ... VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Typis EGMONTIANIS.

1679.

Cum Approbatione.

AMPLISSIME DOMINE

Lætiſſima pariter,& nobis utiliſſima pervenit ad nos fama, Amplitudinem veſtram poſt varios eoſque periculoſiſsimos febrium impetus, priſtinæ tandem valetudini eſſe reſtitutam. Gaudet & Clerus & res litteraria, indubitatò ſperans de tuâ, quam præparas, elucubratione proventum. Monere audeo ex communi omnium voto, occaſiones morbi de cætero fuge & devita: communis rumor, nimio ſtudiorum zelo & exceſsivo, morbos tuos jam dudum adſcripſit. Novimus enim te innumeris implicatum undique negotijs, dum te docti pariter & indocti conſulendo fatigant & diſturbant, quorum zelo magis, & neceſsitati deputo, quàm importunitati, quod te appellent. Studia tamen Sacra à te penitùs auferre, ſcio factu eſſe impoſsibile. Novi ab infantiâ tuum ad eadem ſtudia zelum & amorem, novi cætera omnia rei litterariæ ſemper eſſe poſtpoſita. Memini me quondam tuo conſilio & inſtinctu, ijſdem ardentius me addixiſſe; continua tua hæc erat exhortatio: [a] *Attende tibi & doctrinæ. Oportet* enim ait mellifluus Pater Bern. ſerm. 3. de S. Andrea: *Prælatum, non minùs litteratum eſſe, quàm religioſum, ut zelum Dei habeat, & ſecundùm ſcientiam: cum indiſcreta religio, magis obeſſe ſoleat, quàm prodeſſe.* Hæc tua tibi prima erat commonitio, quam ſequebatur

[a] 1. Tim. 4.

 illa,

illa, mihi tradita, & quam hucuſque veneror, quam dat Alexander Alenſis in cap. xi. Apocalyp. verſ. 8. dum ait: *Vade nè pigriteris tu Clerice, tu Religioſe, tu animarum curam habens, qui debes alios inſtruere: accipe librum apertum de manu Angeli, id eſt Sacram Scripturam addiſce..... Multi ſunt hodie indiſcreti & ignorantes, qui errores ſeminant, indiſcretè ſolvunt & ligant, & ſic cæci cæcis ducatum præſtant, & propter hæc ſe ipſos & ſubditos præcipitant in infernum.* Huic documento aſsiduè inſiſto, & quem nactus ſum doctrinæ zelum, tibi Vir Ampliſsime lubens adſcribo. Nec tantùm ſtudiorum amorem in me accendiſti, ſed & cautelas præſcripſiſti, quibus decipientium & prurientium auribus magiſtrorum fraudibus obviarem; iugis tua erat monitio, ut devitarem profanas vocum novitates, nè quis me ſeduceret in ſublimitate ſermonum, deciperet per inanem fallaciam & Philoſophiam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Christum. Conſilio hoc tuo hucuſque utor Vir Ampliſſime, ſed vixdum valeo de cætero. Quis enim temporibus noſtris, tot undique novaturientium turbinibus pulſatus, non titubet aliquando? quis omnes Pſeudomagiſtrorum technas felici exitu devitabit? doctrina vera (fateor) firma ſit oportet, firmis fundamentis ſuperſtructa, ex quibus firmâ compage, tota demùm doctrinæ

ctrinæ moles ſuperædificetur, adeò ut etiamſi veniant procellæ, immobilis ſtet doctrinæ moles, firmis innixa columnis: verum hoc opus, hic labor eſt. Tot enim jam undiquè naſcuntur dogmata, eaque ex diametro adverſantia, ut vix ulla hic maneat inconcuſſa doctrina. Quin, quod videas iiſdem planè principijs & fundamentis partes accuſari contrarias, imò & iiſdem, contrarias ſeſe purgare & excuſare, iiſdem armis ſeſe defendentes & oppugnantes. Mira certè præliandi ratio. Similia dogmata in dies urbẽ noſtram pervolant, credo & veſtram. Hic Germano, ille Italo, ille ex ſpatijs imaginarijs liber, prodit utero, crederem Bibliopolas undiq; folia in ventum ſpargere & officinas denudaſſe. Videntur quoq; litterarios omnes penitùs, *Athenienſes* de quibus ait S. Textus Act. 17. eos nulli rei ita fuiſſe intentos aut ſollicitos, ut erant auditionis & relationis novitatum. Sæcularem æmulamur morem, quotidiè nova undiquè nuntia, puta gaſettas excudentem & promulgantem. Vix aliquis adeò negotijs liber, ut omnes eiuſmodi libros attentè pervolvat. Morem hunc, quis non miretur, ut inſolitum? nec tamen ſua caret utilitate, dum altercantibus hinc indè partibus tandem eluceſcit veritas, dudum inquiſita. Unum eſt tamen, quod cordatus animus improbat; ſimilia ſcilicet quandoquè calumnijs & mendacijs eſſe permixta. Lugemus hîc lu-

ctum illum, ingenioſè notatum, quem A, V* tranſmiſi. Quid luctui cum calumnijs? luctus ille deſperans videbatur, & phrænetici potiùs, quàm moderati. Alius quiſpiam caligini noſtræ, Ignis Fatui lumen accendit, ut opportunius caligantes in foveam demergat. Nec deſunt, qui partes diſſidentes, ad unitatem & concordiam, varijs mendacijs, calumnijs & impoſturis nituntur congregare. Hic tametſi Anonymus, ex inſidijs erumpens, tandem ſe ficto nomine Henricum à Marcam appellare audet, principes falſò informare, Præſules Eccleſiæ, in patrocinium partis ſuæ fallaciſſimæ & injuriarum implorare. Mirum & ingenioſum ſtratagema; patere Vir Ampliſſime, ut pauca de hac unitate aliàs diſcordia, quæ me & plurimos offendunt, tibi proponam.

Primùm eſt illud, quod alijs ſciſsuras & diſſenſiones improperet, ut olim Eliæ Achab, [a] cui cum Propheta iure quis regeret: Tu es qui conturbas Iſraël. Illa etenim eſt malevolorum conſuetudo, rectorum vitam diſſenſionis cauſam prætendere, de diſsidij cauſa planè incurij. Quid enim miri, ſi nulla ſit conventio CHRISTI ad Belial, ſed ſumma diſſenſio? an quia chriſtiana diſciplina diabolicæ eſt adverſa, CHRISTI diſciplina diſſenſionis cauſa erit & diſcordiæ? ſic ergò à Marca ille, ſciſſuras alijs improperat, quarum ipſe reus eſt, &

[a] 3. Reg. 18.

inflammator.

inflammator. Hoc idem manifeſtè probare; litterarum tenor & ordo impedit. Crediderim illud manifeſtè probandum toti mundo, non poſt multos hos dies.

Secundùm eſt, quod notari poſſit, quod fol.27.culpat Epiſcopos & Eccleſiæ Præſules, idque arroganter,illis hoc odioſum imponens:

Sic percunt corvis, vexat cenſura columbas.

Nec magis verecundè folio ſequenti. Conijce hinc Vir Ampliſsime, cuius farinæ ſit Henricus ille,qui calamum ſuum impudentem & iniurioſum mittat in CHRISTOS Domini. De hoc, ſcio plenius informabitur orbis chriſtianus. Similis injurioſæ impoſturæ reus eſt folio 30. Quaſi virga paſtoralis, non ſit omnibus communis, feriat delinquentes, ſuſtentet innocentes. Noto & illud, quod diſtinctis litteris notanter improperat, *ſi conſilio aliquorum*, addens & non paternè, ſcilicet fiat, quod dictum eſt; quaſi Eccleſiæ Præſules, aliquorum conſilio non paternè, ſed tyrannicè procederent. Nolo hic,Vir Ampliſsime me penitius immiſcere, impoſtura illa per ſe, ſe manifeſtat.

Tertiùm eſt, quod noto : quod ubiquè paſsim ad poteſtatem laicam ſe convertat, eccleſiaſticâ paſſim prætermiſſâ. Sed quid miri, cùm ut ſtatim notavimus, eamdem captet, ſuſpectam reddat,imò injurioſè traducere non reformidet? ſperat fortè opportuniùs, ab illa

poteſtate medelam, quaquaverſum ſe gyrans, à Summo Eccleſiæ Præſule jam proſtratus & confuſus. Quo facto & polyticam poteſtatem lædit arroganter, quaſi Pontificiæ conſtitutioni eamdem iudicaret ſeſe oppoſituram. Noverit vir ille, politicum regimen, non niſi maturo examine proceſſurum, quo mendacia ejus & impoſturæ primâ fronte facilè detegentur. Noverit quoque, politicum regimen, primæ veritati ſeſe ſubmittere, illi coöperari, & conſtitutionibus Pontificijs necdum acquieſcentes, pro ſuo debito compeſcere.

Quartum eſt, quod indicat; eſt illud, quod & politicum regimen implicitè traducat, dum in libello ſupplici, ſpeciatim laudat & extollit Epiſcopum Antverpienſem, epiſcopatu dignum, quem virum veneror, quaſi in alijs denominationibus parùm rectè proceſſiſſet, dum alios Epiſcopos injurioſè culpat, uti mox oſtendi. Si verò ſinceriùs procedat, vereor nè hic adulatio ſit ſocia. Hoc enim quibuſdam familiare eſſe ſcio, novos Eccleſiæ Præſules, novos Theologiæ Profeſſores, Canonicos & alios Eccleſiæ Rectores adoriri, ſimul & adorare ut ſolùm orientem, ut eorum favore obtento, per eoſdem regant, doceant & omnia dirigant, non verò cantent & laborent. Crede Vir Ampliſsime, expertus loquor, & vel de te ipſo ſumito exemplum: his & alijs à quibus ſuperſedeo, attentis, quilibet dictat, quod

quod Henricus ille ſit mentitus in caput ſuum, & incidet in foveam, quam fecit.

Unum tamen eſt, quod hoc aliquorum iudicium, exſibilet Epiſtolâ illâ ex S. Pauli & S. Auguſtini ſcriptis elaborata, ſeu potiùs confuſè conglobata, ubi contrarium in Præfatione jactat & exponit. Epiſtolam hanc ad me ab Amplitudine Veſtra tranſmiſſam avidè legi & relegi. Parva quidem, ſed myſterijs abunda, nec mendacijs planè vacua. Hinc liberè quædam eructabo, quæ continere vix valeo, & turſum Amplitudinem Veſtram interpello, alios tamen te interpellantes non excuſans. Nè tamen prolixior noſtra excreſcat Epiſtola, ſolùm Titulum & Præfationem attingam.

Specioſum Titulum miror vel in primo limine. Dicitur conſcripta ex ipſis Apoſtoli, & S. Eccleſiæ Præſulis Auguſtini ſententijs. Optimum, ſi verum & rectè accommodatum. Titulus perſæpè mendax, etſi ſpecioſus. Vidi ego officinas & titulis varijs, ijſque deauratis capſulas notatas, omni tamen merce vacuas, niſi fortè aranearum telis. Tituli foribus appenſi non tantùm, ſed maximè domus ipſæ ſunt inſpiciendæ. Quis non obſtupeſcat, elatos variorum librorum titulos, quos tamen ſoli Portugalliæ deſtinamus? titulum ergò illum ut vidi, mox ad litteras me converti, ſententias ſacras quidem reperi, ſed in

ſui ipſius perniciem & confuſionem congregatas. Quid enim Bone Vir, Paulum imploras, cui ex diametro tua adverſantur documenta? ſolùm conſidera, Apoſtolum ut peſtem eſſe execratum adulationem, mendacia, calumnias, Novitatum Magiſtros prurientes auribus, Pſeudoprophetas, Doctores turpis lucri cupidos, elatos, ſe ipſos amantes, decipientes hominem ſecundùm Philoſophiam & humanam fallaciam, & alios id genus homines: hos conſiderare velim, ut videas quo iure patrocinium Apoſtoli implores. Hoc unum adde, nè quidem punctum eſſe allatum, quin quam promptiſsimè Authori quadret.

Sed quid de S. Auguſtino? doleo huius S. Præſulis vices, quem toties ab adverſanti parte video torqueri & retorqueri. Gaudeo tamen, quod veniant ad eum, qui detrahebant illi, quod eius patrocinium quærant, quod aliquando abiurarunt. Noſcis mecum Vir Ampliſsime, quinam hunc Eccleſiæ Præſulem inverecundâ fronte quondam non agnoverint, adeò ut *Hiſpanus ille Auguſtinus*, & alij conſocij, ſummâ quondam impudentiâ hæc ſcribere ſint auſi: *Ex opinione Sancti Auguſtini cogi nos incidere in ſententias Pelagij. Crudelitatem ac truculentiam & deſperationis occaſionem doctrinæ eius ineſſe. Ex Auguſtini opinione*

Vaſquez. 1. 2. diſp. 132. c. 3 Catharinus. Molina conc. q. 23. a. 4. & 5. diſp 1. membro 6. Vaſq. 1. 2. diſp. 13. c. 4.

opinione, concertationibuſque cum Pelagianis; multos fideles fuiſſe turbatos & ad Pelagianos defeciſſe. Mihi in hac parte non probatur doctrina B. Auguſtini, ſed exiſtimo aliter philoſophandum. In eo ſe Auguſtino adverſari, eius ſententiam eſſe ſeveram & difficilem & ſe conſentire ſententiæ Græcorum, Gallorum & Maſsilienſium. Auguſtinum ſub caligine quaſi conſtitutum. Multa eum concionatorio more ultrà verum extuliſſe: Contrà Manichæos liberum arbitrium prædicaſſe, contrà Pelagianos nimiùm id diminuiſſe &c.

Noſcis itidem, quinam nimiâ in S. Patrem impudentia teſtati ſint, eumdem ab Eccleſia eſſe condemnatum. Petavium dico S. Præſulis oſorem acerbiſſimum, qui priore ſua diſſertatione, de Concilij Tridentini interpretatione & S. Auguſtini doctrina cap. 5. circà finem impudenter quondam aſſeruit: *Non pauca, nec contemnenda eſſe Auguſtini dogmata, quæ vel Eccleſiæ univerſæ, vel Theologorum aut omnium aut multorum, nec infimi ſubſellij, iudicio reprobantur. Sit illud exempli cauſa, quod multis in locis aſſerit Auguſtinus, Euchariſtiam poſt Baptiſmum dandam parvulis, & eis eſſe neceſſariam. Eamdẽ & Auguſtini & Innocentij Primi ſententiam fuiſſe teſtatur Eruditiſſimus Maldonatus in Commentario ad caput Ioan. 6. 53. atqui hæc opinio Tridentini Concilij authoritate damnata eſt & anathemate notata Seſ. 21. Cap. 4. & Can. 4.* Ecce mendax impoſtura: S. Eccleſiæ Præ-

ſulem

ſulem anathematiſatum clamat invidia, quem jam dudum eadem canonizavit, nec Auguſtinum ſolùm, ſed & ſummum Eccleſiæ Præſulem Innocentium traducit condemnatum. Quæro: an Petavius ille, aut Liber ejuſdem, carceri Inquiſitionis Hiſpanæ non meritò commendetur, qui jam dudum hunc ſequentem condemnavit articulum: *Auguſtini quædam dogmata ab Apoſtolica ſede in terminis damnata ſunt?* Quâ verò Cenſura dignus ſit ille idem, qui ſummum Eccleſiæ Pontificem aſſerere audet anathematiſatum: iudicet Summus Eccleſiæ Arbiter & Iudex. Venient tamen ad te S. Pater Auguſtine, qui detrahebant tibi, & adorabunt veſtigia pedum tuorum. Nonnè hic planè ſimilis Gnoſticis ſeu Valentinianis, quos iuxtà Irenæum eodem artificio uſos eſſe conſtat, quod Scripturis malè compoſitis hæreſes ſuas roborarent? Lubet audire Irenæum ita diſſerentem l. 1. contrà hæreſ. c. 1. *Cùm ſit igitur tale illorum argumentum, quod neqè Prophetæ prædicaverunt, nec Dominus docuit, neq; Apoſtoli tradiderunt, quod abundantius gloriantur pluſquàm cæteri cognoviſſe de ijs, quæ non ſunt ſcripta legentes, & quod dici ſolet, de arenâ teſticulas nectere affectantes, fide digna conantur aptare ijs, quæ dicta ſunt, ut Parabolas Dominicas vel Dictiones Propheticas, aut Sermones Apoſtolicos, ut figmentum illorum non ſine teſte eſſe videatur: ordinem quidem & Textum Scripturarum ſuper-*

ſupergradientes, & quantum in ipſos eſt, ſolventes membra veritatis. Transferunt enim & transfingunt, & alterum ex altero facientes, ſeducunt multos ex iis, quæ aptant ex dominicis eloquijs, malè compoſito phantaſmati: quomodo ſi quis regis imaginem bonam, fabricatam diligenter ex gemmis pratioſis à ſapiente Artifice, ſolvens ſubiacentem hominis figuram, transferat gemmas illas & ex eis formam canis vel vulpeculæ, & hanc malè diſpoſitam, dehinc conformet, & dicat hanc eſſe regis illam imaginem bonam, quam Sapiens Artifex fabricavit, oſtendens gemmas, quæ benè quidem à primo Artifice in regis imagine compoſitæ erant, malè verò à poſteriore in canis figuram tranſlatæ ſunt, & per gemmarum phantaſiam decipiat idiotas, qui comprehenſionem regalis formæ non habeant, & ſuadeat, quoniam hæc turpis vulpeculæ figura, illa eſt bona regis imago. Hactenùs Irenæus. Nonnè illis ſimilis Henricus ille, qui binas Litteras unam ex S. Scripturâ, ex S. Auguſtino aliam congregavit? inane eſt, ſi non & abuſivum, ſacra verba in patrocinium injuſtitiæ adhibere. Memini illud S. Hieronimi in cap. 1. ad Gal. v. 11. *Et diabolus de Scripturis loquitur, & omnes hæreſes, ſecundùm Ezechielem, indè ſibi conſuunt cervicalia.* Et quid miri, cùm ille, *Qui errare vult, vel errorem docere, nihil ſit tam benè dictum, quod non poſſit pravo intellectu depravare*, ut ait Anſelmus l. de Sacram. Alt. c. 13.?

Et

Et hæc tota machina contrà *Ianſeniſtas & Novatores huius temporis*? *Ianſeniſtas*? Qualia monſtra? non facilè crediderim, ita execrandos depingi à Catholico dæmones, nec à Catholicis hæreticos, nec ab hæreticis Papas, ut id genus homines. In Ianſenio quinque Propoſitiones damnavit Eccleſia, execrandi, qui eaſdem docent aut defendunt: ſed quinam illi? certè, ſi omnes, quibus alij nomen illud inurunt, ejuſdem noxæ rei ſint, plurimi hodiè excommunicati, & pontificiæ conſtitutioni rebelles. Æquivalent hodiè *Ianſeniſta* & homines *ſpiritus altioris*, quales plurimos alit urbs noſtra, qui iuxtà alios nihil umquam inclamant, niſi *ſurſùm corda*, *omnia ad Dei gloriam* &c. quin, quod & tabernam vinariam, quam quidam ex talibus vel prægnanti de cauſa ingreſſus erat, altioris ſenſus Conventiculum nuncuparint. Vana & cæca eſt eorum invidia. Ita ubique odioſum eſt *Ianſeniſtarum* nomen, prævalente apud plebem aliorum invidia & adulatione, quam inprimis ut peſtem execrantur ij, quos hoc nomine traducunt.

Sed quinam *Novatores*, quos carpunt Epiſtolæ? quinam illi ſint novi utcumque ex Igne Fatuo Extincto art. 16. quem mihi tranſmiſit Amplitudo Veſtra. Si horum dogmata novaturientia culpet prædicta Epiſtola, ſi in eoſdem anima vertat, poteſtas Politica & Eccleſiaſtica,

cleſiaſtica, ut monet eadem, vix dubito quin flagellum tergo ſuo præparet, & incidet in foveam, quam facit. Alios etenim Novatores nuncupant, quorum dogmata ab æterna lege derivata, ab Apoſtolis edocta, à S. Eccleſiæ Patribus hucuſquè tranſmiſſa. Illos Novatores vocant, penès quos in culinâ ſunt ollæ & cacabi, eorum Doctrinis imò & inſtitutionibus ſeniores, qui ſtramineâ nari, ſtruc inquam, à ſæculo huc appulerunt, quò fit, ut aliqui hanc recentem diſciplinam vel ingenuè profitentes vel convicti concedentes, gloriari audent, recentiorum dogmata veteribus longè eſſe ſuperiora & præſtantiora. Sic aliquando novitatem impugnant, aliquando propugnant, verè duplices corde & animo, cùm vir duplex inconſtans ſit in omnibus vijs ſuis. Iac. 1. & hæc de titulo.

Sed cuius hæc imago eſt & inſcriptio? ex illuſtri propagine progenitus apparet, puta ex illuſtri genere A Marca Cardinalis quondam & Leodienſis Principis, undè nihil miri, ſi cum primatibus regni commercium gerat. Loquela tamen ſua manifeſtum eum facit.

Præfatio tamen myſterio ſcatet datæ ſunt Coloniâ, unâ horâ è prælo Antverpiam uſquè. Heu nuntij euro velociores! patronum eligunt Prælatum, ut arbitror, Amplitudini Veſtræ probè notum. De dotibus ejuſdē nihil penitùs nori, ſed eumdem Antiquitatis Defenſorem credo,

credo, memini enim elucubrationis ejuſdem de varijs SS. de Teſtamento Eminentiſſimi D. Cardinalis Bonæ, ad me à tribus circiter annis tranſmiſſæ. Miramur ergò tantam Henrici libertatem, quâ ſimilia tanto viro liberè audet inſcribere, niſi fortè ſolito eorumdem more eius antiquitatis zelum ſtudeat depravare. Novimus enim quomodo undique Antiſtitum lateri aſſideant, illud adulationibus pulſent, quantâ importunitate illorum conſtantiam oppugnare ſoleant & infringere. Dabo exemplū huic materiæ maximè accommodum. Teſtatus eſt mihi Sacræ Theologiæ Profeſſor hâc tranſiens, quomodo ſtudiorum familiaritate teneretur cum R. D. Profeſſore S. Salvatoris, Viro avitæ doctrinæ & Monaſterij ejuſdem decore, quocum una contentione novellis adinventionibus contrairent. Subodorati illud quidam Patres Prælatum Monaſterij conveniunt de re ſeria eumdem informaturi, cui ſi non prævideat, certum ſuadent religionis diſpendium & perniciem. Monent interim, & crederes candidè ut dicto S. T. Profeſſori ſeriò interdicat, omne cum alio Profeſſore commercium, niſi Monaſterij ſui velit everſionem, certo ex tali ſtudiorum concordia impendentem. Sic Regna, ſic Abbatias, Monaſteria & Congregationes omnes, ditioni ſuæ ſubdere ſtudent, perindè ſivè licita ſivè illicita machinatione. Verùm non deſtitit Præſulis

hujus

huius conſtantia, non ignara ex qua radice monitio illa pullulabat, puta invidia ſuperbiæ permixta. Ecce enim Profeſſor ille pacat ſolitas Theſes Theologicas inſtanti Solemnitati 36. Sanctorum, quos veneratur eadem religioſorum congregatio,eaſque ex S. P. Auguſtino, & S. Patre Bernardo, paululùm digrediens & novaturientes Doctores impugnans, & hæc cauſa odij & invidiæ; ultrò etenim quidam Patres ſpoponderant, ſeſe ad ornatum Solemnitatis, Studioſos ſuos ſericis & aureis fulgidos ad ſupplicationem cum luminaribus procuraturos & miſſuros. Verum viſis theſibus dictis,eorum evanuit devotio, ad decipiendum & ex adulatione concepta. Studioſos denegant *Prælato* eos ſciſcitanti, & audacter reponunt, Fautori talium Theſium, talem famulatum & obſequium eſſe denegandum. Conveniunt interim de more varij ex varijs religionibus S. T. Profeſſores, quorum unus è Societate Profeſſor cæteris acriùs more ſuo excandeſcens,aſſerere impudenter non erubuit *Doctores Lovanienſes eſſe Ianſeniſtas & hæreticos materiales.* De qua impoſtura informatione factâ, dictus Ampliſſimus primus illud idem eſt atteſtatus, cuius copiam meis oculis vidi & relegi,& horum ſubſignatorum nomina etiamnum recordor: *Ampliſſimi D. Franciſci Dierickx Abbatis S. Salvatoris. D. Alberici vanden Kerckhove S. T. L. Lectoris & Prioris ejuſdem Abba-*

 tiæ

tiæ, D. Gerardi Ianſens einſdem Abbatiæ Religioſi: D. Florentij de Cock S. T. Lectoris, & D. Caniſij Ordinis Præmonſtratenſis Canonicorum; D. Bernardi VVerts, D. Norberti Somers, S. Salvatoris itidem Religioſorum, P. Alypij Caſtlijnſone Ord. S. Auguſtini S.T. Lectoris. P. Severi Trudonenſis Capucini Lectoris indigni.
Hæc omnia fideliſſimè tranſcripſi ab eodem S. T. Lectore Amplitudini veſtræ ſatis cognito. Spero proindè hanc Prælati conſtantiam nondùm enervatam, ſed adauctam, necdum fictis blandiſque ſermonibus corruptam, ſed inconcuſſam. Hoc enim de eiuſdem Ordinis Religioſis ſæpè audire merui, Prælatum hunc indefeſſè promovere Antiquitatis ſtudia, S. Auguſtini & S. Bernardi duarum columnarum dogmata, & execrari Novatores. Novit, arbitror eorumdem technas, quomodo blandis fictiſque ſermonibus ſeducant innocentium corda, undè ſimiles abominari dicitur & execrari. Teſtimonium huius ſumpſi ex varijs eiuſdem Scholæ Theſibus, & Eruditiſsimi Domini Lectoris ac Licentiati elucubrationibus, ad me tranſmiſsis, in quibus genuinus ſpirat S. Auguſtini ſenſus, mellifluo Doctori per omnia conformis. Noſcit, nec dubito, religionem ſine ſcientia eſſe nullam, religionem corruptâ ſcientiâ, pariter & corrumpi. Immobilis ergò, ut reor, permanet huius Prælati ſtudiorum Zelus & Sollicitudo,

præcavet

præcavet ſirenum & blandiloquorum voces, non niſi ſeductioni accommodatas. Noverit tamen falſò aliquos, etiam Hiſpaniam uſquè, & injurioſè traduci, qualiter de quodam Viro Religioſo, mihi & Amplitudini Veſtræ ſat cognito mendaciter inuſtum erat, quod ſpargeret Bruxellis & doceret, D. Virginem non eſſe Matrem Chriſti; qualiter de Eximijs DD. Doctoribus Lovanienſibus mendaciter in Hiſpaniam ſcripſerans, eos ſumma contentione velle è Litanijs Lauretanis expuncta illa verba: *Refugium Peccatorum*. Nèc eſt, quod informem de calumnijs falſò affixis D. Ioanni Priori Waerſchottano eiuſdem Ordinis: non eum fallit, quàm falſò & mendaciter pluſquam 100. Articulos illi adſcripſerint, prout ex Apologia eiuſdem toti orbi innoteſcit. Alia exempla quam plurima hîc & ubique obvia, lubens prætereo, nec tali Viro crediderim incognita aut inaudita.

Superſedeo Vir Ampliſſime, & filum rumpo. Si occaſio ſeſe offerat, hæc dicta digere, & horum exempla etſi Amplitudini Veſtræ cognita, repetita placeant. De ſinceritate Amplitudinis Veſtræ numquam licuit dubitare, nunquam ut ſpero, licebit. Unum eſt, quod ſupereſt votum, ut inconcuſſa Doctrinæ avitæ Principiâ penitiùs mihi aliquando litteris tuis inſtilles & communices. Nullas ad me miſiſti, ſine fructu, illoque uberrimo; quod

ſi dignetur,

ſi dignetur, præcor illud, quod Doctori ſpondet ſapientia æterna, ut tamquam ſtella fulgeas in perpetuas æternitates.

V. & A. I. G. L. C.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE